

1472 Smyrneum litrus tenuere. Est pars urbis non parva monte sita, sed longe major in planitie, verum mons frequentius colitur. Copiæ repente in terram expositæ, hostium muros feroci adoriuntur oppugnatione. Cives subito malo territi, cum metu & trepidatione in ipsis murorum ruinis Veneto occurrunt; sed illorum conatus parum victoriam remorari potuerunt, eodem enim animorum ardore, quo oppugnatione inita erat, per scalas pluribus jam locis admotas, perque murorum anfractus, navales focii scandentes urbem transcendunt. Ad cujus captæ sensum ingens fuga miserabilisque comploratio orta dicitur. Matronæ pavidæ in ipsa templa, quas *Meschetas* vocant, cum liberis confugerant, circumstabant aras Mahomethum suum invocantes. Cives in extremum discrimen adducti, ex summis tectis tegulas aliaque telorum genera in subjectum hostem devolvunt. Venetus victor per mediam urbem discurrens, virgines, matronas, ac reliquam imbellem turbam e templis distrahit: puberum alios abjectis armis capiunt, alios obstinatius renitentes trucidant: vestes, aurum, argentum, valaque preciose & magnifice celata diripiunt: sacra profanaque violant. Ferunt fœminam florenti ætate, quum ad naves abduceretur, mariti sepulchro, in quod forte inciderat, procubuisse, ac flebili lamentatione illud complexam, dulcissimum mariti nomen sæpius vocasse: *En*, inquit, *conjunx dilectissime, extremus patriæ casus efficit, ut me, quam nullus amor, nulla vis unquam quominus tua fuerim, semperque futura essem, vertere potuit, crudelissimi hostis manus in perpetuam captivitatem abducatur. Separor infelix a tuo conspectu, nec dulcem patriam, nec monumentum hoc dulcissimum amplius visura. Has ego supremas lachrymas tuis misceo cineribus: his inferiis tuos manes supremum ciebo. Sed quid ita? moriar potius, quam suavissimo hoc complexu divellar.* Atque ita sepulchro hærens, quum neque minis neque alia vi facile divelli posset, a temerario milite gladio trajecta, hac sola re fœlix, quod quo voluit loco relicta est. Ad famam captæ urbis Balabanus, qui provinciæ præerat, ex proximis stativis subito